



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Vtrum fideles præcepto Divino & Ecclesiastico teneantur sumere
Eucharistia[m], & quandonam ad id obligentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

- tiam causant duæ species, quam unica. A
 69 Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, nego ex parte rei significatam plenioris refectionem spiritualem significari per utramque speciem simul, quam per alterutram tantum, sed solum ex parte modi significandi; quod non sufficit ut sacramentum plenioris aut perfectioris operetur effectum, ut in secunda probatione conclusionis ostendimus, duplicique exemplo declaravimus. Addo quod in refectione spirituali non distinguuntur cibus & potus, sed eadem res, sive eadem gratia & nutrit, & refrigerat; sedat famem, & extinguit sitim; unde in Scriptura una eademque res esuriri & sitiri dicitur, Matt. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, quod & in corporalibus interdum observare est, quando quidem infantibus lac & pulvis, maioribus panis vino intinctus, & cibi & potus usum habent.

- 70 Obijcies tertio: Si species panis & vini non causarent diversas gratias, sed unam tantum: vel tota hæc gratia Sacerdoti conferretur in sumptione solius speciei? & sic species vini non esset verum sacramentum, nam gratiam quam significat non conferret, obicem non ponenti; Vel in sumptione solius calicis? & sic species panis non esset verum sacramentum, ob eandem rationem. Vel partim in sumptione hostiæ, & partim in haustu calicis? Et hoc etiam dici nequit, quia non potest assignari ratio cur species panis sumpta à laico, statim illi conferat totam suam gratiam, quam apta est conferre; Sacerdoti vero non totam sed dimidiaram tantum conferat, aliam dimidiaram causandam relinquens à subsequente specie vini: Ergo &c.

- 71 Respondeo totam gratiam Sacerdoti dari in ipsa hostiæ sumptione. Nec propterea sumptio calicis non est verum sacramentum; quia ut sit verum sacramentum, non est necesse ut gratiam actu conferat (nam Eucharistia dum est in pixinde, est verum sacramentum, & tamen gratiam actu non confert) sed sufficit quod quantum est de se possit illam conferre, si subiectum sit dispositum: hic verò subiectum non est dispositum, eò quod totum effectum sacramenti recepit in sumptione specierum panis. Sicut si laicus post sumptam unam particulam immediate sumeret aliam, nullam gratiam reciperet; quia similiter subiectum non esset dispositum, eò quod totum effectum sacramenti in sumptione primæ hostiæ recepit.

- 72 Obijcies quarto: Eucharistia modò sumpta sub sola specie panis, non est majoris efficaciam, quam fuisset in triduo mortis Christi: Sed in triduo mortis Christi non tribuisset tantam gratiam, quam contulisset communicatio sub utraque specie; cum enim corpus Christi esset tunc absque sanguine, gratiam quidem contulisset sub specie panis, sed præcisè per modum cibi: Ergo etiam modò Eucharistia sumpta sub utraq; specie majorem confert gratiam, quam cum sub una tantum specie sumitur.

- 73 Respondeo primò negando Majorem id eò enim modò communicatio sub unica specie est tam efficax ac communicatio sub utraq; specie, quia sub unica specie modò continetur totus Christus: At verò in triduo mortis Christi, sub specie panis non fuisset totus Christus, quia tunc cum sanguis Christi esset separatus à corpore, sub speciebus panis non fuisset sanguis per concomitantiam, sicut modò.

Respondeo secundò, datà Majori, negando Minorem; cum enim gratia quæ per modum potus tribuitur, non sit entitative distincta ab ea quæ confertur, per modum cibi, sed una eademque, probabile est consequenter quod in triduo mortis Christi tanta gratia collata fuisset communicanti sub unica specie, quantum tribuitur communicanti sub utraque. Maxime quia licet sanguis non fuisset tunc per concomitantiam corpore, bene tamen suppositum Divinitatem quo quælibet species habet totam suam virtutem; hæc tamen est differentia, quod communicatio tunc facta sub unica specie, non fuisset signum gratiæ secundum, quod habet rationem potus spiritualis, bene tamen communicatio sub utraque

DISPUTATIO IX.

De usu seu sumptione Eucharistiæ.

Ad quæstiones 80. & 81. De Thoma.

Quia speciale est in hoc sacramento, utrum sumptio ab ipso sacramento distinguatur, postquam D. Thomas egit de essentia, causis, & effectibus illius, differit de eius usu, quod est sit prior in executione ipsius effectibus, in intentione tamen est posterior. Agit verò per modum eius usu in communi quæst. 80. & deinde in particulari de modo quo Christus est usus hoc sacramento, quæst. 81. Verum quia suppositum in quæ de institutione huius sacramenti supradiximus, nihil restat disputandum circa hanc quæst. 81. illà prætermisâ, solum agemus de usu Eucharistiæ in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum fideles præcepto Divino & Ecclesiastico teneantur sumere Eucharistiam, & quando nam ad id obligentur?

Deo primò, obligatio sumendi Eucharistiam nedum est de præcepto Ecclesiastico, sed etiam de jure divino. Ità D. Thomas hic art. 1. ubi ait: *Manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam mandato Domini dicentis Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem.*

Colligitur ex Scriptura, nam sicut præceptum baptizandi colligimus ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*, & præceptum penitentiae ex illo Luca 13. *Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis ita ex verbis illis Joannis 6. nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: rectè colligitur præceptum Christi de huius sacramenti sumptione, quod qui non servat, non habet vitam in se.

Potest etiam assignari ratio congrua, cur Christus voluerit tale præceptum nobis imponere, quia nimirum hoc sacramentum per modum cibi, ad vitam spiritualem hominis conservandam necessarii, instituit. Nam licet jure nature tenetur homo cibum naturalem sumere, quia sine eo non potest diu vitam conservare; ita quia moraliter impossibile est in vita spirituali

diu perseverare, sine huius Divini Sacramenti, & cibi celestis subsidio, conveniens fuit quod Christus sub præcepto ad illud sumendum nos obligaret. Et certe si Adam in statu innocentia, sub peculiari præcepto divino debuisset aliquando de ligno vitæ, quod typus fuit Eucharistia, comedere, ad vitam corporis conservandam, ut multi docent; quanto magis congruum fuit, hominem lapsum, ad spirituales vitam animæ conservandam, divino astringi præcepto, ut aliquando teneretur de hoc vitali ligno comedere? & quid eò hoc præceptum convenientius fuit, quo negligentior est homo ad vitam animæ quam ad vitam corporis conservandam.

3 Confirmatur: Cum Eucharistia sit omnium sacramentorum finis, utpote sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, fas non est credere, quòd cum de Baptismo & de Pœnitentia, Christus divinum præceptum tulerit, hoc reliquerit sine præcepto, ut rectè arguit Soto in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11.

4 Dico secundò, hoc præceptum divinum obligat fideles baptizatos, in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita.

Probat per primam partem: Hoc sacramentum institutum est per modum Viatici: Ergo tunc præsertim sumendum est, quando exiundum est de hac vita. Unde Can. De his 26. quæst. 6. ex Concilio Nicæno dicitur: De his qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regulæ observabitur nunc etiam: ita ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur Viatico.

5 Confirmatur: Posito quod hoc præceptum sit divinum, ut præcedenti conclusione ostensum est, non potest, præcisâ determinatione Ecclesiæ commodiori tempore obligare quam in mortis articulo, in quo tenetur infirmus quantum potest se Christo incorporare, & de securo viatico pro periculo itinere sibi providere.

6 Quod verò idem præceptum divinum obliget etiam aliquoties in vita communicare, patet ex fine ad quem ordinatur, nam ordinatur ad nutriendam & roborandam animam in vita spirituali: Ad hoc autem non sufficit, semel tantum in vita, vel in solo articulo mortis, hunc cibum sumere; sicut enim ad vitam corporalem non sufficit semel aut iterum in vita cibum sumere, ita nec ad vitam spiritualem; quia sicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis, humidum radicale contrinuitur depascens, defectu cuius vitæ animalis destruitur; ita hæc actio ne concupiscentiæ, humidum radicale amoris divini perpetuò abimentis. Unde sicut de ligno vitæ, qui ut supra dicebamus, fuit typus & symbolum huius sacramenti, Adam in statu innocentia, & non semel, sed pluries debuisset ex Dei præcepto comedere, ad restaurandum humidum radicale vitæ humanæ, ita & de hoc sacramento proportionaliter dicendum est.

7 Dixi autem in conclusione, fideles baptizatos, quia infideles & non baptizati non tenentur præcepto divino ad communionem, sicut nec ad confessionem, quidquid in contrarium dicat Suarez: Ut enim rectè dicitur Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. conclus. 1. Ius divinum supernaturale solum obligat universum orbem ad suscipiendam Evangelicam fidem: obligatio autem ad alia præcepta singularia sacramentorum, non exurgit nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in Baptismo: quemadmodum si quis facit votum simplex Religionis, licet tenetur ad religionem, non tamen ad ejus caeremonias

Tom. V.

A & officia, donec illam profiteatur. Addo quod, si hoc præceptum obligaret non baptizatos, Sancti Martinus, & Ambrosius, alique plures, qui diu Baptismum distulerunt, contra præceptum hoc divinum communicandi peccassent mortaliter; quod de tam sanctis viris asserere nefas est.

Dices, Qui sunt in peccato mortali ad communionem obligantur, non quidem ut communificent existentes in peccato, sed ut pœnitentiam agant, & sic communificent: Ergo similiter non baptizati tenentur ad communionem; non quidem ut communificent antequam Baptismum suscipiant, sed ut baptizentur, & sic communificent. Unde ipse Christus Joan. 6. hoc præceptum promulgavit Capharnatis, quorum maxima pars non erat baptizata.

Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: nam illi qui sunt in peccato mortali, sunt capaces communionis, quamvis illam licet sumere non possint, nisi per pœnitentiam disponantur; non baptizati verò adhuc illius capaces non sunt, & sic ad illam non obligantur; sed tenentur solum se capaces ad illam reddere, quod est obligari ad Baptismum, quo huius sacramenti & aliorum capaces fiunt. Sicut supra dicebamus, quod ille qui fecit votum simplex Religionis, tenetur quidem ingredi Religionem, non obligatur tamen ad officia & onera Religionis, donec eam ingressus fuerit, & solemnem professionem in ea emisit. Unde ad illud quod subditur de Capharnatis, dicendum est, Christum hoc præceptum Capharnatis omnibus promulgasse, ut scirent se illo teneri, non quidem immediatè obligatione, sed mediata, id est post Baptismum, ad quem omnes immediatè obligati erant; & ut necessitate sumptionis Eucharistia, non baptizati magis inducerentur ad suscipiendum Baptismum, sine quo Eucharistia sumi nequit.

Dico tertio, præter præceptum divinum, extat Ecclesiasticum, quo omnes fideles cum ad annos discretionis pervenerint, obligantur semel in anno, nempe in Paschate, communicare. Patet ex cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis & remissionibus, & ex Tridentino sess. 13. can. 9. ubi sic habetur: Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit. Antehoc præceptum præcessit decretum Fabiani Papæ qui electus est anno 238. obligans ad communionem sacramentalem ter saltem in anno, nempe in Die Natalis Domini, Paschatis, & Pentecostes, ut habetur Can. Etsi de consecrat. dist. 2. cui Sother Pontifex, ob memoriam passionis & institutionis huius sacramenti, addidit diem cœnæ Domini, ut habetur in Canone in cœna, eadem distinctione. Sed hæc omnia revocata sunt in Lateranensi cap. citato, in quo præcipitur solum fidelibus semel in anno, nempe in Paschate, communicare. Nomine autem Paschatis, ex Ecclesiastica consuetudine, & bulla Eugenii IV. quæ incipit Fide digna, intelligitur totum tempus à Dominica palmarum usque ad Dominicam in albis inclusive: imò in aliquibus regionibus, ut in Germania, extenditur à principio Quadragesimæ, usque ad decimam quartam diem post Pascha.

Circa hoc præceptum tres occurrunt difficultates.

Q. 3.

tes

res breviter hic resolvenda. Prima est, an qui praevidet se impediendum, ne in paschate communicet, teneatur tempus praescriptum praevinire?

Respondeo breviter, quod si timeretur futurum impedimentum, pro tempore paschali tantum, non teneretur quis praevinire; bene tamen si praevidet fore, ut neque tempore paschali, neque reliqua parte anni, communicare possit. Nam duo praecepta virtualiter traduntur in capite citato, *Omnis utriusque sexus*. Unum est ne communio ultra annum differatur, cum dicitur, *Et suscipiat reverenter ad minus in Pascha*; quemadmodum ibidem immediate antea praecipitur, ut ne confessio ultra annum differatur, cum dicitur: *Semel saltem in anno confiteatur*. Alterum est, ut propter reverentiam & solemnitatem diei festi, communicatio illa annua fiat in paschate, quantum fieri potest. Licet ergo ratione huius secundi praecepti non teneatur praevinire tempus, quia illud determinatum tempus respicit, bene tamen ratione primi, quia impletio eius, tempore Paschali addicta non est, sed est determinatio praecepti divini obligantis aliquoties in vita communicare, ut conclusionem praecedenti ostensum est. Unde qui longissimam navigationem aggrediens, praevideret se toto anno cariturum hoc sacramento, teneretur antequam mari se committeret, illud suscipere.

12 Secunda difficultas est, an qui tempore Paschali omisit communionem, liber sit à praecepto usque ad sequens Pascha?

Respondeo negativè, quia, ut diximus, praeceptum communionis Paschalis, continet duo virtualiter & aequivalenter, unum communicandi, saltem semel in anno; alterum id faciendi tempore Paschali, propter reverentiam festi Paschalis; quamvis ergo qui tempore Paschali omisit communionem, liber sit ab isto praecepto, cum elapso tempore Paschali impleri non possit, & nemo illud teneatur ad impossibile; non tamen à primo, istud enim obligat ad hoc ut annus non praetereat sine comunione, si ne ultra annum differatur tam salutare remedium; unde istud praeceptum non est additum tantum tempori, sicut alterum; nec est purè affirmativum, sed etiam virtualiter negativum, quatenus includit prohibitionem de non differendo ultra annum hoc sacramento. Unde continuo peccat ille qui cum possit communicare, non communicat; sicut continuo peccat ille, qui cum possit restituere, non restituit.

13 Tertia difficultas est, an qui in peccato mortali sacrilegè communicat, satisfaciatur praecepto communicandi?

Respondeo etiam negativè: nam praeceptum Ecclesiae est determinatio praecepti divini; unde videtur Ecclesia talem communionem praecipere, qualem Christus praecipit: Sed Christus praecipit manducationem piam & salutarem, cum praeeperit illam ut medium ad nutritionem spiritualem animae, & ad conservandam vitam spiritualem gratiae & charitatis, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: Ergo & Ecclesia illam praecipit.

14 Haec ratio potest hoc exemplo confirmari & magis illustrari. Nam quia praecepto naturali tenemur ad materiale cibum sumendum ut medium conservativum vitae corporalis; non satisfaciemus huic praecepto naturali, si sumentes cibum materiale, illi obicem ponamus, ne nostram vitam corporalem nutriat: Ergo similiter, quia praecepto divino, cuius praeceptum Eccle-

siæ est determinatio, obligamur ad sumendum Sacramentum Eucharistiae, ut conservemus vitam spirituales, neutri praecepto satisfaciemus, si sumentes hoc sacramentum, obicem ponamus quominus illud animam nostram spirituales nutriat.

Confirmatur secundò: Si praelatus alicuius firmo praeciperet ut sumeret cibum, huic praecepto non satisfaceret, si sumeret cibum venenum infectum, qui ei mortem afferret: Ergo similiter nec praecepto Ecclesiae satisfaciunt, qui in peccato mortali suscipiunt Eucharistiam, cum tamen illa non sit ei cibum, sed venenum. Unde Augustinus tract. 26. in Joan. *Nonne buccella Domini nenum fuit Iuda?* Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malum accepit.

Confirmatur: Eadem videtur ratio de praecepto communionis, ac de praecepto confessionis: Sed qui facit confessionem sacrilegam, & voluntariè nullam, non satisfaciunt praecepto novae confessionis, ut declaravit Alexander VIII. in Congregatione generali Inquisitionis habita die 24. Septembris anni 1665. & oppositam sententiam, quam aliqui recentiores Caluitz docent, ut temerariam, & scandalosam damnant: Ergo pariter qui in peccato mortali sacrilegè communicat, non satisfaciunt praecepto novae communionis: quamvis Suarez, Vazquez, Cocinck, Martinus, & alii recentiores oppositum doceant, quia nimirum existimant, Ecclesiam actus merè internos non posse praecipere. Sed hoc fundamentum non est solidum; ducimus enim quod Ecclesia non possit directè & simpliciter praecipere actum internum, secundum nomen, & indirectè, illum jubere potest; quod scilicet actus interior necessarius est, utiam exterior sit bonus: unde per se loquendo habet potestatem super actus exteriores, super actum verò interiorum, per accidens, & ratione actus exterioris, in quantum est forma illius. Si Ecclesia praecipit Inquisitionibus sub pena excommunicationis, ut non procedant contra aliquem odio, & in cap. *Volentes*, de celebratione Missarum, jubet confessionem quotannis fieri fidelium, & officium divinum *studiosè & devotè* à Clerico celebrari. Cur ergo similiter singulis fidelibus praecipere non poterit, ut singulis annis, in festo Paschatis, piè & salubriter communiceant, nihil apponendo obicem spirituali nutritioni, & gratiae sacramentali?

ARTICULUS IV.

Quae dispositio requiratur ad dignam summptionem huius sacramenti?

Disputatione praecedenti ostendimus, ad consequendum augmentum gratiae habitualis ex opere operato, non requiri necessarium actualem devotionem, aut immunitatem à peccatis venialibus, quia carentia sola actualis devotionis, non est impedimentum ad gratiam augendam, neque specialis aliqua irreverentia quod sit peccatum mortale. Unde solum hic agendum est de aliis dispositionibus tum ex parte animae tum ex parte corporis requisitis ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum.

Dico ergo primò, ad hoc ut peccator dignè & fructuosè recipiat hoc sacramentum, non sufficere solam fidem, imò nec attritionem super naturalem, cognitam ut naturalem.